



F

anf.

SS





II.
Oratio Inauguralis
DE USU
METAPHYSICES
IN S. THEOLOGIA.

Habita

In Illustri Academiâ Ernestinâ,

à

M. JOHANNES HENICHIO,

Cum ei Metaphysices & Hebrææ Linguæ professio publ.
demandaretur,



Rintelij ad Visurgim,
Typis exscriptit PETRUS LUCIUS, Typographus Academicus.
ANNO MDCCXLIII.

Faint, mirrored text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side. The text is mostly illegible but appears to include words like "DEUTSCHLAND" and "KONIGREICH".





Magnifico, Generoso & Nobilissimo
VIR O

DN. LIBORIO

à Münchhausen Satrapæ in Erben & Bü-
ckeburg/Hereditario in Rinteln & Schwöbber/xc.
Domino & Patrono suo æternum
venerando,

S.D.

Johannes Henichius.

Magnifice, Generose & Nobilissime Vir, Dn.
& Patrone æternum venerande.

Quantus sit tuus in me amor, multis usq; certis notis mihi pridem
ostendisti. Mei itaq; contra officij erit meam in Te observantiam
si quâ re potuero, testari. Atq; hæcenus quidem haud video, quemad-
modum eâ in re vel mihi vel Tibi satisfaciam aliter, quàm si Oratio-
nem meam inauguralem de usu primæ Philosophiæ in S. Theologiâ No-
mini tuo inscribam. Licet enim illa diserta fortassis non admodum sit,
tamen confido Te, quæ est tua æquitas, munus hoc etiam tenue non ad-
spernaturum vel saltim voluntatem meam non improbaturum. Re-
vera enim illud, quidquid est, quod ad Te mitto, à mea Tui observan-
tiâ & Tibi debita & singulari proficiscitur. Vale Vir generose & me
porro, si ita mereor, ama. Dabam Rintelij in Academiâ Ernestinâ
im Decemb. 1643.

A 2

Magnis



*Magnifice Domine Rector & Procancellarie,
Reverendi, Clarissimi, Excellentissimi,
Consultissimi viri,
Domini plurimum honorandi:*

Vosq; Nobilissimi & Eruditissimi Domini Studiosi.



T de disciplinis aliis plerisque, ita de Metaphysicâ perperam sentit vulgus: quod vobis omnibusq; in sapientiæ studiis rectè versatis cognitum satis est & perspectum. Etenim multi nobilem hanc scientiam nihil aliud esse arbitrantur, quam explicationem terminorum seu vocabulorum, quam proinde puer aliquis non prorsus stupidus pauculis mensibus percipere imò totam exhaustire possit. Quàm verò pueriliter isti errent, eis satis liquet, qui vel rudimenta Metaphysices cognovit adeoq; rem ipsam rectâ ratione putare didicit. Tradit profecto illa disciplina nobis veram & perfectam rerum cognitionem, quæ non tam consistit in eo, ut significationes vocum nôris, quàm ut rerum naturam, principia, affectiones, mutuamque nexum & cohærentiam animo comprehendas & penerres. Alii eò audaciæ procedunt, ut hæc studia noxia esse clament & usum eorum in doctoribus, qui summam & sanctissimam disciplinarum exponunt, & pro cœlesti veritate excubias agunt, damnandum contendunt, quod etiam si sobriè & modestè adhibeantur, tamen

Oratio inauguralis.

tamen non tantum nihil profint, sed tenebras puræ & æthe-
riæ luci offundant. Contra hos breviter dicere & in gratiam
studiosæ juventutis bonis atq; evidentibus rationibus Meta-
physices nostræ in explicandâ & vindicandâ religione usum
& necessitatem adserere meum nunc est propositum. Ut
autem dicentem & etiam absque cultu & elegantia (quippe
quam argumentum ipsum respuit) dicentem favore & bene-
volentia prosequamini, Auditores, majorem in modum à
vobis rogo & contendo. Certum est Metaphysicam sive pri-
mam Philosophiam esse doctrinam maximè generalem &
terminos universalissimos exponere. Quare & hoc certum
est hujus disciplinæ præ aliis in studio Theologico præcla-
rum esse usum ut carere eo nullo modo possis. Dicit servator
Matth. 18. *Necesse est ut eveniant scandala.* Joh. 12. *propterea non
poterant credere, quia prædixerat id Esaias.* Paulus 1. Cor. 11. *Oportet
hæreses esse.* Indicatur in his locis, uti patet necessitas aliqua
scandalorum, incredulitatis, hæresium. Nisi Metaphysicus
quis sit, fieri profecto aliter haud potest, quin omnia illa non
pravitati humanæ sed ipsi divinæ voluntati & prædictioni ac-
cepta referat. Sed Metaphys. nostra statim hic nobis suppeti-
as fert & distinguendum esse docet inter *necessitatem absolutam*
sive consequentis, quam vocant, & *necessitatem ex hypothesis*,
quæ consequentiæ duntaxat est & rebus vel maximè contin-
gentibus competit, tantum abest ut veram contingentiam
impediat. Certè nihil magis contingens est quàm Petrum se-
dere nunc aut non sedere: necessarium itaque nullo modo
est, utrum horum fecerit. At enim ubi jam sedet, non potest
simul non sedere, aut dum non sedet, simul sedere. Quare
necessario sedet, dum sedet, & non sedet, dum non sedet, non
absolutè quidem sed factâ ejusmodi hypothesis. Unde est tri-

tum illud. *Omne quod est, eo ipso quo est necessariò est.* Quod qui ex Metaphysicis rectè cognitum habet, facile potest explicare illa, quæ attulimus, Scripturæ loca. Nempe posterior necessitas, nequaquam absoluta illa scandalis, incredulitati & hæresibus convenit. Nec enim absolutè necesse est scandala venire, hæreses esse &c. Sed ex hypothesi pravitatis & perversitatis hominum, quâ consideratâ tum Christus tum Paullus tale quid enunciarunt. Declarare id possumus exemplo. Si Rempubl. videamus, in qua à Magistratu cives libertati assueti ejusq; non minus quàm animæ suæ amantes acerbè & iniquè tractentur, rectissimè dicemus: *In ista verò Republica seditiones tandem excitari necesse est.* Hoc, ut quivis intelligit, non nisi ex hypothesi necessarium pronunciamus, nec cuiquam interim necessitas imponitur excitandi seditionem. Ad eundem modum præsupposita mundi malitia necessum quidem est venire scandala, necessum est oriri hæreses, minimè tamen necesse est per hunc aut illum dari scandala, vel excitari hæreses. Sic etiam posito DEUM per Prophetam certorum hominum malitiam prædicere necessum sanè est eam consequi, non tamen simpliciter sed quia prædictiones divinæ falli nequeunt. Porro vocabulis actus, potentia, causæ, effectus, substantiæ, accidentis, positivi, privativi Theologus identidem uti cogitur. Quod si autem uti velit, utatur necesse est in significato & sensu, quem illis ab omnibus retrò seculis tribuit mortalium consensus. Neque enim profecto ex ipsis scripturis novam & inusitatam significationem evincere poterit. Si quis autem adeò sit absurdus ut omnia pervertat materiamque exempli gratia vocet, quam reliqui mortales formam appellant, aut materiæ eam causandi rationem tribuat, quæ efficientis est, illi quidem eadem
ratione

Oratio inauguralis.

7

ratione album appellare licebit, quod alii nigrum vocant, aut equum, qui leo sit aut asinus. Nemo autem non videt manifestum hinc esse usum Metaphysices. Nam hæc docet, quid sit substantia, accidens, causa, effectus & quidquid hujus generis est; ex sola igitur illa id quoque disci oportet. Enimvero si Matthias Flacius Illyricus, quo linguarum scripturæ & totius antiquitatis cognitione nemo fuit instructior, discrimen inter accidens & substantiam ac utriusque naturam rectè ex Metaphysicis perspectam habuisset, numquam adeo absurdum errorem invexisset, numquam tantas in Ecclesia dedisset turbas. Neque enim dubitavit adserere, ut notum est, peccatum ab Adamo tractum ipsam hominis substantiam esse; qua quidem opinione nihil excogitari potest perniciosius. Eâ namque posita peccatum illud nullum fuerit. Si enim est peccatum & tamen est ipsa hominis ab Adamo descendens natura & substantia, ut Flacius voluit, dicere oportebit, aut **DEUM** peccati esse causam, aut aliud rerum præter **DEUM** independens dari principium. Quin imò dicere oportebit Christum non naturam nostram sed longè aliam & specie à nostra diversam adsumsisse, nec in ulla re nobis similem esse, aut carnem & sanguinem, ut nos, habere; peccatum enim nec habet nec adsumsit. Denique etiam hoc dicere oportebit, in extremo die non idem numero, corpus resurrecturum esse nec aut illud aut hanc animam nostram, sed aliud corpus & aliam animam, alios item & specie diversos homines (si tales esse possunt) æternum beatum iri. Tot & tanta absurda parit illa Flacii opinio. Ipse tamen non vidit aut intellexit ex eâ talia necessariò consequi. Quod si vidisset aut intellexisset, numquam sine dubio eam fovisset vel statim missam fecisset. Absit enim ut virum de Ecclesia bene meri-

tum

tum acculemus, quasi docuerit peccatum Originis non esse verum peccatum, quod ipse potius omnibus modis exaggerabat; aut quod DEUM peccati autorem statuerit, duo vererum principia esse crediderit: vel non crediderit Christum adsumsisse naturam nostram aut in extremo die idem numero corpus resuscitatum ita. Certè & utrumque hoc credit & ab illis seriò abhorruit. Interim docuit, è quo illa necessariò fluunt & per pronam facilemque consequentiam deducuntur. Numquam verò docuisset, numquam absurdissimam illam sententiam amplexus fuisset, si Metaphysicam rectè didicisset. Quam quum egregiè prorsus excoluisset S. Augustinus, longe profecto felicius ille de natura boni & causa mali contra Manichæos disputavit. Docebant Manichæi, sicut Deus primum principium & causa est omnium rerum bonarum, ita aliquod etiam primum principium per se subsistens & DEO contrarium ac coæternum esse causam omnium rerum malarum, utque Deus est summum & essenziale bonum, ita alterum illud esse summum & essenziale malum. Hic Beatus Augustinus una propositione seu uno axiomate ex Metaphysica petito totum illud delirium Manichaicum præclarè evertit. *Quid aliud est, inquit cap. undecimo Enchiridii, quod malum dicitur, nisi privatio boni?* Et lib. de natura boni, cap. 4. non tantum indicat, quid sit malum, sed addit, ex ejus determinatione totam hanc controversiam decidendam esse. *Quum queritur, ait, unde sit malum, prius querendum, quid sit malum, quod nihil aliud est quam corruptio vel modi vel speciei vel ordinis naturalis. Mala itaque natura dicitur, quæ corrupta est; nam incorrupta utique bona est. Sed etiam ipsa in quantum natura est, bona est, in quantum corrupta, mala est.* Ità sanctissimus ille Hipponensium Episcopus rectè ex Metaphysicis

ficis

Oratio inauguralis.

9

cis principiis deducit nullum malum, quatenus tale est, veram rem aut naturam sive substantialem sive accidentalem esse, sed rei tantum aut naturæ alicujus privationem vel corruptionem: omne enim ens quatenus ens est, seu veram realem ac positivam essentiam habet, bonum aliquid est, sicut hoc in primâ Philosophiâ abundè demonstratur. *Hanc regulam*, ait incomparabilis Theologus & Ecclesiæ nostræ immortale decus D. Chemnitius in locis suis Theologicis. *Augustinus in multis voluminibus contra Manichæos tractat & præcipuos nervos refutationis in eo constituit: Malum non esse naturam seu rem positivam*, Atque est profecto argumentum peregrinum. Nam si malum quatenus tale non est aliquid positivum, sequitur quod nec habeat causam efficientem, ut Manichæi stolidè supponebant, sed deficientem. Quidquid autem contra revera entitatem aliquam realem & positivam habet, illud ab eo factum est, sine quo nihil factum est, quod factum est. Unde idem Beatus Augustinus lib. de verâ religione ita scribit: *Deus prima atque summa essentia, ex qua est omne, quidquid est: quia in quantum est, quidquid est, bonum est.* Et ut loquitur lib. 1. de doctrinâ Christianâ cap. 32. *in quantum sumus, boni sumus.* Contra epistolam verò fundamenti cap. 33. *Videt, qui potest videre, omnem naturam, in quantum natura est, bonam esse.* Item: *Intelligitur naturas, in quantum natura sunt, bonas esse, quia, quum eis vicissim omne, quod bonum habent, detraxeris, natura nulla erunt.* Omnia illa accuratissimè S. Augustinus, quæ facile arguunt virum hunc in primâ Philosophiâ longè versatissimum fuisse, utpote sine quâ nec explicari talia nec intelligi satis à quoquam possunt. Qua de re si quis adhuc dubitat, ipsum illum maximum Doctorem de his controversiis audiat. Ità autem de iis ipse censet: *De his, inquit lib. 11.*

B

de or-



de ordine cap. 17. & hujusmodi rebus (de providentiâ nempe DEI & causa mali) aut ordine illo eruditionis (loquitur autem de eruditione, quæ scholis propria est) aut nullo modo requirendum quidquam est. Et ne quis quàm latissimum aliquid nos complexos esse arbitretur, hoc dico planius atque brevius ad istarum rerum cognitionem neminem aspirare debere sine illa quasi duplici scientiâ, bonæ disputationis, potentiaque numerorum. Ubi per scientiam quidem bonæ disputationis exquisitiorem notitiam logices denotat, per potentiam autem numerorum pythagorica loquendi consuetudine primam Philosophiam seu naturalem Dei notitiam. Utinam fidelissimum illud S. Episcopi consilium observent omnes, qui de his & similibus controversiis agere instituunt! Utinam numquam de iis sine ordine illo eruditionis duplicique illâ scientiâ, de quâ Augustinus nos loquitur, requirant, longè fortassis aliam intueamur hodiè faciem Ecclesiæ. Unde enim in tot partes discessum est? Unde tot monstruæ opiniones? Nisi equidem planè fallor inde, quod pleriq; nullis disciplinis instructi in Theologiam involant & de rebus tam arduis disceptant. Hoc enim ubi fit, ibi & illud fieri necesse est, ut quod quisque somniavit, atriculum fidei haberi velit, & pro nugis suis tamquam pro aris & focis pugnet, omnique ferociâ in veritatem feratur. Sed de his nunc non est locus conquerendi. Pergimus proinde ad alia. Acris est disputatio, ut constat de concursu causæ primæ cum secundis. Ubi profecto illud nemo Metaphysices ignarus expediet, quî queat esse quod opus aliquod non fiat sine concursu DEI & tamen cum idem opus peccatum sit, peccatum sine concursu Dei fiat. Nam quidquid contradicat Durandus, certum est Deum effectivè concurrere ad actionem peccati, quatenus est ens, seu actio realis.

Nihil

Nihil enim possunt operari causæ secundæ, nisi simul coopere-
tur causa prima, quia in causis essentialiter subordinatis in-
ferior nunquam agit, nisi dependenter à superiori. Omnem
v. causam secundam esse essentialiter subordinatam causæ
primæ notius est quam ut probatione indigeat. Quia
sicut se res ad esse habent, ita quoque se habent ad operari.
Si igitur à prima causa dependent in essendo, non minus
dependebunt in operando. Est scilicet & actio causarum
secundarum ens per participationem. Essentialiter itaque
dependet ab ente per essentiam: Absque eius igitur concursu
sive cooperatione causæ secundæ nihil agere possunt. Quæ
omnia in Metaphysicis accuratè explicantur & probantur.
Hic autem non levis oritur difficultas, quia inde videtur se-
qui Deum esse causam peccati. Nam ille est causa peccati,
qui sciens & volens producit aliquem actum, cui annexa est
malitia. Sed hoc facit Deus, si concurrat ad actum peccati, erit
igitur causa peccati si concurrat. Deinde homo ideò dicitur
esse causa peccati, quia liberè concurrat ad actum peccati. Si
ergò & Deus liberè concurrat ad actum peccati, diceretur etiã
causa peccati. Expediant nobis hanc difficultatē, qui litera-
rū & linguarum peritiam professi Metaphysicam & reales di-
sciplinas vituperant aut damnant, suasque literas solas juventu-
ti commendant, scientias contra exosas reddunt. Qui Meta-
physicos Realistas, summarios, formularios, denique bar-
baros & barbarei Patronos per ludibrium vocant. Expe-
diant, inquam, nobis hanc difficultatem absque ope primæ
philosophiæ, ad cuius mentionem tantopere nauseant, quod
profectò si vel tentaverint facere risui & ludibrio semetipsum
omnibus exponent. Ex Metaphysica autem nostra nullo ne-
gotio res tota explicatur. Homo scilicet peccat, non Deus,
B 2 quia

quia licet uterq; concurrat ad actum peccati, tamen concursus hominis est particularis & determinatus ad malum, & ideo repugnat legi, seu ex eius vi sequitur defectus in actione: At concursus DEI opt. maximi est generalis & ex se indifferens, ex cuius vi nulla sequitur deformitas seu malitia. Vult DEUS ad actum malum concurrere non absolutè sed subintellecta conditione, si liberum arbitrium ad illum efficiendum se determinaverit. Nam concursus eius agentibus liberis præsto est ad plura nec ad unum certum, nisi quatenus ipsa secunda ad illud se determinat. Ex parte DEI nulla profectò fit determinatio sed tantùm ex parte Hominis. DEUS enim ita offert concursum suum voluntati liberæ, ut integrum huic sit, uti vel non uti concursu divino imò etiam ad hanc vel illam speciem actus eo uti. Quemadmodum verò concursus ille indifferens est cùm ad exercitium tum ad speciem actus, ita etiã indifferens est ad actus malitiam. Posset enim tota illa actio realis, quatenus à DEO est, manere sine ulla culpa aut malitia morali. Exem. gratia. Si homo cum ignorantia invincibili eliceret aliquem actum prohibitum, quod fieri posse experientia constat, non haberet ille actus rationem culpæ; Contra verò si eundem actum sciens & volens eliceret, jam haberet rationem culpæ. Hic ego quæro, quare in posteriori casu actus ille sit malus, non verò in priori. Certe quum in utroq; casu idem plane sit concursus ex parte Dei facile patet nō ex hoc sed solius hominis concursu determinatè actum illum malum volentis atque elicentis omnem malitiã desumendã esse. Ut ut igitur positiva entitas actuum malorum non possit non referri in Deum & dependere à concursu divino, nequaquam tamen privatio conformitatis sive *divina* adherens illis actibus in autorem Deum referenda est, quo-

quoniã à creatura agente privatio oritur ipsaq; hæc creatura obstat, quo minus concursus divinus actionem perfectam, & ab omni privatione liberam reddat, ipsa, inquam, creatura, quæ actionem divinam generalem & concursû exposcit, suoque modo agendi determinat, ut entitatem largiatur operi, quam privatio deformet. Hæc multò accuratissimè disputant Metaphysici nostri quæ profecto nota esse oportet Theologo difficillimam illam disputationem ingressuro. Enimverò tota doctrina de causis ità comparata est, ut passim ad Theologicas controversias symbolam suam conferre queat. Fidem justificationis & salutis nostræ causam esse nemo ignorat. Ut autem sciamus causam efficientem esse & quidem non principalem sed instrumentalem, id sine Metaphysicâ fieri non potest. Hæc nos docet instrumentum esse, quod à superiore causa elevatum supra propriam virtutem operatur. Quod autem fides non sua vi sed propter ordinationem divinam & apprehensum meritum Christi justificet ex revelatione cognitum habemus. Ità quando docetur gratiam DEI esse causam justificationis principalem, imputationem justitiæ Christi esse causam formalem, prædicata, ut patet, sunt termini quorum propriæ rationes ex Metaphysicis sunt notæ. Cum primis etiam tunc maximè evidens est usus hujus disciplinæ quando Theologo cum pagano congregiendum, qui sacras literas nesciat aut rejiciat & quando adversus talem hominem, quod sit DEUS, quod sit unus, simplex omnipotens &c. demonstrandum vel quando ei contra absurdum aliquem Vorstium veritas vindicanda est. Sit quis adeò impius, ut neget Deum esse, qui, quæ nos gerimus, audiat videatque. Oppugnabo statim hominem ex natura causarum per se sive essentialiter ordinarum, in
B 3 quibus

quibus nequit dari progressus in infinitum, sed sistendum est ad aliquam primam sive summam. Si enim causæ essentialiter subordinatæ essent infinitæ adeoque nulla esset prima causa, non esset aut dari posset ulla causa. Omnes enim causæ inter primam & ultimam quæ effectui proxima est mediæ sunt, ita ordinatæ, ut sequens ab antecedente in causando pendeat, sive causandi vim accipiat. Si autem nulla est prima, unde pendeant illæ mediæ? Et quomodo medium potest dari absque primo, nisi extremam relationum violationem committere velis? Posito igitur communi illo principio. Nihil esse *causam sui* ipsius seu quidquid producit, produci ab alio, fatendum utique est dari aliquod ens quod faciat sive efficiat, ipsum tamen non sit factum vel effectum, quemcunque tandem fiendi modum tibi excogitare queas. Principium verò illud omnino ponendum & concedendum est, quia quod efficitur seu producit, supponitur non esse antequam fiat. In ipso autem non esse non potest esse virtus ad se efficiendum, quum non entis nullæ sint qualitates, nullæ virtutes. Cæterum prima illa causa, ad quam necessariò deveniendum esse dixi, est ipse Deus optimus maximus. Ut enim iidem Metaphysici accuratè demonstrant, quum sit independens, non potest ullo essentia suæ respectu in potentia vel esse vel concipi sed semper in actu, ideoque est ipsum ens per essentiam atq; infinita in perfectione. Est etiam una tantùm, à qua omnia producuntur. Talis verò causa extra controversiam est ipse Deus. Ita ergo ex Metaphysicis Atheum constringere possumus, ut elabi nequeat, aut quò sese vertat, invenire. Quod si v. Plinius aliquis nos adoriatur & Deum non omnia posse contendat eò quod mortem sibi *consciscere non possit, si velit*, nec facere, ut, qui vixit
non

non vixerit, qui gessit honores non gesserit &c. etiam illum beneficio Metaphys. nostræ facile repulerimus. Est enim inepta planè argumentatio & facile arguit Plinium, quàm peritus erat rerum naturalium, tam male fuisse verbatim in prima Philosophia. Nam mori ne quidem potentia est, multò minus omnipotentia sed summæ impotentia. Quæ igitur alia hîc est consecutionis ratio, quàm ista? Deus non est omnipotens, quia non est impotens. Est itaq; abusus tantum vocis posse, quum dicimus posse mori, æquè ac cum dicitur quis posse ægrotare, esurire, in pulverem prolati &c. quæ omnia non esse propriae potentia sed imbecillitatis certum est, etiam si vulgò vocabulum Posse iis tribuatur. Unde rectè B. Augustinus, quem supra laudavimus, lib. 5. de civitate Dei c. 10. *Non minuitur, ait, potestas DEI quum dicitur mori fallig, non posse: Sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minoris esse utiq; potestatis. Rectè quippe omnipotens dicitur qui tamen mori & falli non potest: Dicitur enim omnipotens faciendo, quod vult, non patiendo, quod non vult.* Rectissimè inquam & solidissimè S. Doctor hoc monet. Neque enim potentia in Deum alia cadit quàm activa. Omnia igitur eum posse est utique omnem potentiam activam possedere: At mori non istius sed passivæ potentia est & proinde, ut antea dixi, impotentia insigne argumentum. Ità facere ut qui vixit non vixerit, qui honores gessit, non gesserit est contra dictorias facere. At contradictoria in se invicem mendacii arguunt. Quid igitur elicemus? An Deus non est omnipotens, quia mentiri nequit? At jam hoc quoque absurdus imò fœdus est, quàm superius illud. Mentiri enim ne quidem in virum bonum cadere debet, multò magis id à summa illa & tremenda Majestate alienum esse censendum est. Videmus igitur quid possit Metaphysices inscitia,

inſcitia, ad quàm redicula; ad quàm impia magnum illum, quem vocant, naturæ myſten, redegerit, ut ex creatore faceret impotentem & miſeram creaturam, atq; ità ridiculè argumentantur, ut illis iſtis argumentis, quibus DE I omnipotentiam evertere conatur, eam maximè adſtruat. Quemadmodum enim oſtendi, revera nulla alia eſt argumentatio Plinij quam Deum propterea non eſſe omnipotentem, quia non ſit impotens. Imò contrarium inferre debebas, Plini: DE U S propterea eſt omnipotens quia nulla prorfus in eum impotentia cadit. Rem totam in gratiam Studiolorum ſic breviter complector. Nulla potentia ſuum excedit objectum adæquatum, hoc eſt, nullius potentiæ eſt exerere actum ſuum circa id quod eſt extra ejus objectum adæquatum. Ergò, nec omnipotentia ſive potentiæ infinitæ erit poſſe facere impoſſibilia, Qualia ſunt, quæ Plinius adfert. Malè ergò ex eo, quod Deus non poſſit facere impoſſibilia, inferitur, eum non eſſe omnipotentem aut potentiam ejus non eſſe infinitam. An, obſecro, derogat viſui, quod non poſſit percipere odorem vel ſaporem? Num quis ex eo, quod animal non poſſit videre ſaporem ut odorem, rectè inferat, illud carere potentia videndi? Aut eam non habere omnibus numeris perfectam? Cum ratione inſanire oporteat eum, qui ità colligat, quum odor & ſapor non ſint objectum viſus? Quomodo igitur Plinius inferat DE U M non eſſe omnipotentem, quod mori non poſſit, quod & ea, quæ facta ſunt non ſint facta, ut bis duo non ſint quatuor, &c. Quum quæ ita dicuntur, dicantur tantum, ſenſum autem, qui rem exprimat, nullum habeant, ſed ſibi iſtis repugnent, adeoque nec ſub objecto omnipotentiaſ contineantur? Cæterum ſicut imperitia primæ Philoſophiæ Plinium in tantas abſurditates

ditates impegit, sic eadem Conrado quoque Vorstio scholæ Steinfurtensis olim Professore infinitas nugas peperit. Non tantum ille compositionem & aliud atque aliud in DEO esse statuit, sed vera in super accidentia, potentiam passivam ac mutabilitatem, quæque præterea animus prorsus horret meminisse. Pugnans hæc manifestò cum Metaphysica, quàm si excoluisset Vorstius, numquam adeò absurdus esse potuisset. Nam accidens verum & reale in DEO ponere perinde est ac essentiam perfectissimam ex eo, quod perfectum & imperfectum est, componi dicas. Omne enim accidens aliquid imperfectum est, quatenus est tale, quum esse suum habeat à substantia adeoque secundum quid tantum sit ut ex Metaphysicis constat. Quid? quod substantia divina infinitè perfecta est. Non itaque potest ulterius in se perfici. Nam quod infinitè perfectum est, hoc in se continet omnes perfectiones quæ dari possunt, vel formaliter vel eminenter. Omnino autem in se perficeretur substantia divina, si ullius accidentis capax esset utpote quod est perfectio quædam substantiæ superaddita. Quæ ex Metaphysicis primum discere debuisset Vorstius, quàm tanti momenti rem tractare inciperet. Sicut & illud, omnè potentiam passivam seu receptivam supponere carentiam seu defectum: nullatenus igitur in DEUM, quippe ens perfectissimum cadere posse. Sed DEUS actu colitur, inquit ille & invocatur, qui antea coli & invocari tantum poterat. Quid ergò nî in eo sit accidens imò potentia aliquatenus passiva? Egregiè profecto. An verò nescit Vorstius quæstionē hîc de accidente prædicamentali esse? Quis enim unquam negavit accidens prædicabile de DEO per denominationem extrinsecam, ut loquuntur Logici, rectè dici posse? Nam hujusmodi accidens nullam importat imperfectionem, nullam efficit in eo mutationem, cujus accidens di-

C

citur,

citur, nihil ipsi addit, nihil detrahit. Sic quando dico: *pa-*
ries videtur, vel cæcus videt esse duntaxat denominationem
 extrinsecam, quæ in pariete, quem denominet, nihil po-
 nat. Non, inquam, mutatur paries nec perfectionem ul-
 lam acquirit aut amittit, etiam si videatur. Ad eundem pror-
 sus modum quando D E U S opt. max. dicitur coli & invocari
 ab hominibus, nullatenus importat aliquod accidens, quod
 Deo inhæreat sed sūt istæ denominationes extrinsecæ à cut-
 tu & invocatioue quam homines ei exhibent, petitæ. Videtis
 igitur doctissimi Dn. Studiosi, quotquot Theologiam colitis
 (nam vobis nunc cum primis disciplinam Metaphysicæ com-
 mendare volui) quam turpiter in rebus longè gravissimis se-
 dent homines Methaphysicæ imperiti, & quàm accuratè ejus
 beneficio explicari possint, quæ maximas alioq; difficultates
 habere videntur. Poteram hoc ipsum adhuc plurib; planum
 facere, quum è plurimis tantum pauca recensuerim, nisi tem-
 poris ratio prohiberet & hæc vobis satis esse judicarem. Vos
 igitur, ut evitetis ejusmodi hallucinationes absurdosq; erro-
 res, de quib; dictū, omni in id operâ incumbite, ut rectè Me-
 taphysicam addiscatis. Absit ut vos turbent, qui ultrò ad luci-
 data tela dici cæcutiunt excellentemq; hanc disciplinam, utrū
 stoliditate an improbitate majore, equidem nescio, contem-
 nunt ac odio habent. Absit, inquam ut illi vos à studio ejus re-
 trahant, quum nihil novum sit, quod eruditionem criminan-
 tur indocti, omni seculo id factum est, omni fiet; nobis certè
 ideò ea contemnenda non est, quod multis sic videtur, sed la vos istos,
 & imperitos esse censendum: qui omnes suis similes esse vellent, ut in
 communi illo grege laterent, & inscitia reprehensionem effugerent,
 sicut jam olim verissimè & sapientissimè scripsit Sanct. Gre-
 gorius Theol. Unde etiam pridem iis omnium doctorum &
 intelligentium judicio poena illa statuta est, quæ ignorantia
 statui.

Statui debere Socrates dicebat, ut *discant, quæ ignorant.* Non est autem quod reliquarum facultatum cultores existiment nihil planè utilitatis se ex nobilissima Metaphysica nostra capere posse, quum non nisi in S. Theologia ejus usum hæcenus demonstraverimus. Est n. scientia imò ut peregrinè demonstrat Aristoteles sapientia ac proinde per se intellectum perficit beatumq; reddit. Vos igitur optimi studiosi omnes & singuli, quibus liberalior eruditio cordi est, quib⁹ cordi est perfectio animi, decurrite mecum hoc studij genus. Ego, dum Spiritus hos regit actus, Deo juvante fideliter vobis præibo: Vestrum erit nulli operæ parcere, ut præcedentem paribus passibus sequamini. Sed tandem ad vos, patres Academici, Viri longè excellentissimi mea se convertit oratio. Verba profecto mihi desunt, quibus Vobis agam gratias pro insigni vestro favore, quem erga me adhuc ignotum declarastis. Vestræ n. vestræ commendationi debeo unicè, quod incluti ordinis vestri pars sum factus. Quod, inquam, Illustrissima & Generosissima Comes ac Domina Domina ELISABETHA, Comes Holstatiæ Schaum, & Sternbergæ, Domina in Gehmen & Bergen; nata comes & nobilis Domina de Lippiä: &c. Domina nostra clementissima, professionem publicam in illustri hac Academiâ mihi demandavit, vestra fecit commendatio. Utinam patres ullam videam rationem, qua vicissim vobis ostendere possim, quanti mihi sitis, quamq; sim & observans viro- rum summorum & animo in eos grato, qui aut consilio aut re me adjuverint. Utinam ea quoq; sim eruditione, ut expectationi vestræ satisfacere & vel in mediocribus locum tueri queam. Sed novi tenuitatem meam non solum aliarum rerum, sed harum quoq; quas me publicè docere oportebit & quib⁹ proindè abundare omnino conveniebat. Nullus tamen dubito quin, quæ est vestra æquitas, lubentes me sitis toleratori,

sicubi forte defecero, & contenti futuri, modò pro virili meâ
 coner & adnitar. Est quodam prodire tenus, si non datur ultra. Vix
 fortassis ac ne vix quidem inter mortales reperitur, qui erudi-
 tionem omnibus numeris penitus absolutam adsequutus sit,
 & necesse non habeat in semetipso alicubi quædam desidera-
 re. Quid igitur mirum, si & mihi juveni multa adhuc sint di-
 scenda? Faciam interim cum Deo officium meum graviter,
 & ut vobis omnibusq; bonis perpetuò sim carus, summa ope
 connitar. Ipsi certè, spero, agnoscetis, ubi aliquamdiù mecū
 vixeritis, Vos à me diligentissimè sineq; adulatione observa-
 ri. Quod superest DEUM opt. max. supplex veneror, ut vos
 bono publico incolumes & vivos quàm diutissimè præstet.
 Salva sit ipsius munere puritas Religionis, salva Ecclesia &
 Respublica universa; idq; tuente nos & fovente Illustriss. Co-
 mite ELISABETHA, quam salvam, incolumem & florentem
 servet ac tueatur divina bonitas Liceat sub ejus præsidio imò
 consiliis & ope inclutæ huic Ernestinae temporum & hominū
 improbissimorum culpa tot annos afflictæ porrò respirare &
 pristinam faciem recuperare. Ità certè Illustrissimæ ejus Celsitudi-
 ni curæ sumus, ut numquam Academiam hanc ex generoso suo & boni
 publici amatissimo animo dimittat, sed quotidie in eam nova beneficia
 aut conferat aut meditetur. Non possumus igitur non omnia nobis
 summa imò aureos, quod dicitur, montes polliceri, modò exoptatissima
 pax tandem redeat, cessent rapinæ, seelerumq; agmina, belli pedissequa
 exterminentur. Quod ut fiat quàm ocyssimè, faxit Deus, pacis autor, à
 quo omnis bona donatio & omne integrum donum descendit, quò nos
 ei ex tam diris malis servati sacrificia laudis & juvencos labiorum no-
 strorum rependamus, ἐξ ἀκροῦ μνησθῶν ψυχῆς perpetua gratiarum actio-
 ne illum celebremus, dicentes: ei qui insidet throno & agno benedictio, &
 honor & gloria & robur in secula seculorum.

D I X I.



Viro Clarissimo & Excellentissimo

DOMINO

JOHANNI HENICHIO

art. M. Metaphys. & Linguæ Sanctæ
Profess. publ.

Collegæ & Amico meo plurimum
colendo

Quam sit necesse rebus in sacris Sopho,
Cunctos habere terminos
Scientiæ sublimioris cognitos;
Rectè hæcenus tecum docet,
Quicumq; progredi cupit feliciter
In arduis negotijs
Fidei; quibus cælestis incumbit salus.
En; Disputationibus
Multis hic, iste, quaritat sententiam
Firmare; terminis, dolor
Proh! pugnat ipse, non malis quidem sua
Culpâ sed auctoris; quod hos


Nun-

Nunquam satis didicit. Photina id heresis
Docet: scit illa terminos,
Unumq₃, Trinumq₃; atq₃ quidnam Essentia,
Persona quid velit sibi
Physicè; at Dei explanans Tributa, est impia
Prorsus; Creatorem malè
Dimittens ulnâ creatura. Quid hunc
Trinum vocas; dicunt, Deum,
Qui simplicissimè unus est? persona quid
Triplex in una essentia
Effingitur? Monstrum putant, quod cum sua
Ratione, quæ cœlestia
Non cernit, haud cohaeret. O monstrum! sacra
Sic ad libidinem rapi
Cœcam, prophanam! Quin Dei-verbum sacrum
Stet iudicis loco; Quod hoc
Fini verit, ratum fiet. Terrena ne
Quidem potis mens est, satis
Determinare; quidnam inepta iudicet
In rebus istis, quæ sua
Viniunquam habebit cognita. Esto, sit triplex
Non unum in hac Natura; eris


Ob causam eandem vis supremi Numinis
Ligata vinculis, quæ tenent
Creatæ? Tu qui sacra tractas, sic age,
Ut ne tuo ignores malo,
Quid hic, quid iste Terminus velit sibi,
Desumptus è penu Meta-
Physicæ; tuus sic optimè cedit labor
In veritatis commodum.

l. inq; apponebam

ANDREAS-HENRICUS Bucholtz
SS. Theol. & Phil. Moral. nec non Poës.
Profess. Publ.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



99 A 6919

ULB Halle 3
002 631 202





Sl.

Reho. ✓

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

II.
Inauguralis
**USU
PHYSICES
THEOLOGIA.**

Habita
Academia Ernestina,
a
HENRICHIO,
Hebraeae Linguae professio publ.
mandaretur,



ad Visurgim,
CIUS, Typographus Academicus,
MDCCLXXXIII

